7

✠

PRO REGIA HISPALENSI ACADEMIA AD D. D. D. PAULUM DE OLAVIDE, ET JAUREGUI,

HUJUS CIVITATIS PRAEFECTUM MERITISSIMUM ob ſumma clariſsimi hujus viri in illam beneficia gratiarum

ACTIO

IN SOLEMNI STUDIORUM INSTAURATIONE coram illuſtriſsimo totius Academiae conſeſſu recitata

A D. RAYMUNDO DE VALBUENA THEODORO DE PRADO,

HUMANIORUM LITTERARUM IN REGIO DIVI HERMENEGILDI COLLEGIO STUDIOSISSIMO ALUMNO, AB EODEMQUE Typis mandata, atque in aeternam grati animi memoriam eidem digniſsimo Praeſidi dicata, necnon maximâ erga tantum virum affectione elaborata

A BACC. D. CAROLO VAZQUEZ,

IN EODEM COLLEGIO REGIA APPROBATIONE majorum, et Rhetoricae aulae moderamen habente.

Decimo quinto Kalendas Novembris. Anno MDCCLXXIII.

HISPALI: Superiorum permiſſu, et Dñi. Cenſoris Regii Approbatione, ex Typografia Emmanuelis Nicolai Vazquez, et Soc. in vico Genuenſi.



VIRO MAGNIFICO,

D. D. D.
PAULO
DE OLAVIDE,

ET GAUREGUI,

CLARISSIMO SANCTI JACOBI STEMMATE jure merito insignito, potentissimo Hispaniarum Regi à Conciliis, Generali totius Baetici exercitus Praefecto, Generali etiam novis in montibus Marianis coloniis, regiisque hujus Provinciae vectigalibus Archipraesidi, atque hujus urbis Praetori dignissimo, &c.

SAPIENTER PRINCEPS ille ingenii, et doctrinae Plato, Praeses am-

amplissime , tum demum civitates , et respublicas beatas fore praedixit , si aut docti , aut sapientes homines eas regere caepissent : aut si earum rectores omne studium in doctrina, et sapientia collocassent. Etenim prudentissimus is vir clarissimè praevidebat , earum plurimas ex humili, et abjecto rerum statu ad summum dignitatis, et gloriae fastigium cùm caeteris virtutibus , tum maximè rectorum suorum sapientià esse provehendas. Id quod non tam prudenter, quam verè dictum fuisse Spartana illa civitas nobis facilè commonstrat. Quae cum antehac pessimè instituta , et moribus perdita, atque nullius fere nominis praeterea fuisset; ad tantá tamen gloriam sapientissimis Lycurgi legibus pervenisse memoriae proditum est, ut ad quingentessimum usque annum à cunctis non Graeciae modò, sed totius ferme orbis terrae civitiatibus tamquam religionis , disciplinae , et morum magistra religiosissimè coleretur. Verum id quoque populi Romani res suis exemplis nos docere potest manifestè. Et si enim à perditissimis Caligulis , Neronibus , Domitianis , Commodis , Heliogabalis, aliisque hujusmodi hominum monstris potius , quàm hominibus miserè dilacerata, et pessumdata fuerat; tamen per clarissimos , et sapientissimos imperatores , Augustos , Trajanos , Antonios , Marcos

ni-

nimis valde illam illustratam fuisse legimus. ¿Sed quid tam longinqua commemoro? cum illa ipsa haec civitas nunc clarissimo ejus rei exemplo nobis esse poterit? siquidem illo Tuo, Paule, sapientissimo, atque prudentissimo ductu, ad quam numquam antea aut vidimus, aut audivimus fuisse felicitatem, ad eam hoc tempore illam evectam esse videamus. Et certè quidem satis mihi multa, quo hujus urbis fortunatior aequè, ac felicior res fluat, et fluxerit, interesse videntur. Primùm innumera, et singularia beneficia, quae Tibi refert accepta, quaeque utpote in medio posita, à me illa commemorari non est necesse. Denique quòd Te, talem Virum civium suorum bono nacta fuerit Praefectum, talem, inquam, Virum, in quo hae res, quae ad benè, et feliciter, non dico urbem, sed regnum administrandum sunt aptissimae, inveniuntur: scientia, virtus, auctoritas.

¿Quis igitur Praesul Te scientior umquam huic urbi fuit, aut ecquando erit? qui è media pueritia jam omnes illas artes adolescentum, et juvenum proprias, et quae vel illis ipsis captu sunt difficiles, perfectissimè percallebas? qui extremà pueritia utriusque juris laureà in celeberrima Limensis civitatis Academia cum summa omnium eruditorum approbatione simul, et admiratione fuisti

exor-

exornatus? ineunte adoleſcentia, cum nondum undeviginti annos natus eſſes, honeſtiſsimum, et ampliſsimum audientis judicis officium in eadem urbe integerrimè etiam, non ſolum cumulatiſsimè explebas? cujus Tua adoleſcentia ad ſcientiam juris, et legum non alienis praeceptis, ſed Tuis praeſcriptis eſt erudita? ſed quod genus ſcientiae eſſe poteſt, in quo Te tuum eximium non exercuerit ingenium? linguarum, pòëticum, Rhetoricum, Philoſophicum, Politicum, Mathematicum, Theologicum ſtudium, varia etiam, et diverſa genera Tuorum ſcriptorum, et, ut alia omittam, admirabilis illa, numquamque ſatis laudata ſtudiorum forma nullam rem eſſe declarant in optimis artibus, atque ſcientiis poſitam, quae Tui ipſius cognitionem fugere poſsint.

Iam verò de Tuis virtutibus quis, quae digna ſunt, proferre poterit? labor enim in negotiis, induſtria in agendo, celeritas in conficiendo, conſilium in providendo tanta ſunt in Te uno: quanta in omnibus reliquis aut hujus, aut illius veteris aetatis viris maximis non fuerunt. Teſtis eſt Matritum hujus regni ſedes nobiliſsima, cui, cum magnis opprimeretur pauperum copiis, magnifica hoſpitii domo Tuo conſilio, et induſtria optimè, et celerrimè diſpoſita, divinam quaſi opem tuliſti.

Teſtis

Testis est iterum ipse idem populus totius Hispa-
niae deliciae , et gloria , qui ob admirabilia , et
magna Tua in illum benefacta , cum Syndici am-
plissimo munere fungebaris , nunc etiam Tibi gra-
tias habet, et semper habiturus. Testis denique est
Hispania , quae , cum pluribus locis non inculta
modò , et deserta , sed invia etiam , montuosa , et
multis propterea latronibus esset plena , à Te tum
ad hujus imperii splendorem , cum ad communem
omnium salutem , et utilitatem plurimis vicis , at-
que urbibus frequens facta est. ¿ Quis enim per
haec loca magno praedonum numero referta iter
fecit , qui se , aut suas fortunas certissimo vel mor-
tis , vel praedae periculo non committeret ? Itaque
hoc tantum nemus , tam invium , tam periculis
plenum, tam vetus, tam longè, latèque dispersum
per Te unum , quia solus huic tantae molis operi
par à regia Majestate inventus es , patefactum , so-
lo aequatum est , in novas colonias mirandum in
modum compactum , atque dispositum , et ab om-
ni periculo syncerum, ac integrum magna cum hu-
jus , et aliarum nationum admiratione redactum.
¡ Tanta in Te virtus constituta est , ut nulla neque
tam ardua , neque tam difficilis res sit , quàm Tuo
non et consilio providere , et industrià tueri, et ce-
leritate conficere possis ! Sed multae praeterea sunt

Tuae

Tuae magnae, eximiaeque virtutes. Iſta enim Tua integritas, atque innocentia, iſta in omnibus rebus temperantia, iſta in pauperes miſericordia, iſta verae religionis cura, iſta denique ſuavitas gravitati admixta, quacum et judicis dignitatem tueris, et omnium Tibi amorem, et venerationem devincis, tam ſingularia, tam admirabilia, tamque communis ſortis expertia ſunt, ut ea nobis non hominis, ſed quaſi divina eſſe videantur.

Iam igitur tanta in Te auctoritas eſt, quanta non potuit in omnibus caeteris hujus civitatis praefectis inveniri. Nam cùm ea non aliis ſolùm in rebus, ſed in hominum etiam judicio, atque in eo ipſo praecipuè ſita ſit: ¿ quis eſt, qui non cognoſcat, et intelligat, Te et ea re plurimùm valere, et illos auctoritate longè, multùmque ſuperare? de quo enim viro cujuſque fortunae, conditionis, doctrinae, dignitatis, honoris homines, de quo noſter Carolus, rex poſt hominum memoriam virtute maximus, atque ſapientiſsimus tanta, et tam praeclara judicia fecerunt? aut quem virum gentes omnes (id quod etiam facit auctoritatem) magis reverentur, magis obſervant, magis amant? Sed res ea, ut plura non dicam, Tuam quoque apud omnes auctoritatem ſatis confirmare, atque declarare poteſt, quod quo die Te, poſtquam tamdiu hujus imperii augendi cauſa abfue-

abfueras, ad publicum ejus urbis bonum tuendum, et conservandum Tua cura attulit, repente annonae caritas ex summa illius inopia imminuta est, atque non multo post ejusdem vilitas assueta est consequuta. ¿ Quid, quod, cum res frumentaria aestate proximà malè se habuisset, tantùm Tua et auctoritate, et cautione, et providentia effecisti: quantum vix summa, et diuturna agrorum ubertas efficere potuisset?

Ego verò, qui majorum Tuorum singularia ornamenta his tantis animi bonis nimis valde illustrata audio celebrari quotidie, facere omnino non possum, quin pro meo, et civium omnium erga Te hujus patriae tam beneficum patrem amore, et studio Tibi palam, et apertè gratuler, et eodem tempore hoc offeram (sicuti libētissime facio) munus, in quo, si quod meum est, spectetur, non magni momenti res; si quod Tuum est, magna omnia reperientur. Equidem hoc scriptum praecipuè cupio et typis mādari nunc, et postea in publica luce versari, ut jam omnibus nota sint, quae, et quàm magna Tua adversus nos fuerint beneficia, quamque falsò dictum sit, quidquid contra novam Tuam, et singularem studiorum formam nonnulli dictitarint: jam etiam ad posteros perveniat, quae, et quàm eximiae Tuae sint virtutes. Sed ne forte quis eorum, qui Te non norunt

runt

runt (nam de iis, quibus Tu notus es, nihil tale metuo) in his à me dictis assentationi, et consuetudini datum esse aliquid suspicetur: Te, tuaque tum animi bona, tum scripta testor: ad Te, et tua, qui velit, accedat, et certò futurum spero, ut is me vero minora dixisse etiam invitus fateatur. Fac igitur, ut, quae Tua est humanitas, meum hoc qualecumque animi pignus in Te nunc acceptorem benignum, et ego patrem in posterum indulgentem inveniamus: ita Te ille rerum omnium effector, atque conservator Deus cumulatissimis suae gratiae donis auctum, atque communi hujus et civitatis, et regni bono quam diutissimè, et quam felicissimè conservatum velit.

Nomini tuo addictissimus, et
obsequentissimus servus

Raymundus de Valbuena,
Theodoro de Prado.

AUCTORIS
EPIGRAMMA
IN EJUSDEM VIRI LAUDEM.

QUàm valeas dictis, quàm ſis foecundus in actis,
Aſsiduò nobis ore, manuque probas.
Aurea, Paule, tibi lingua, at magis aurea dextra
Eſt, nam cum doceas plurima, plura facis.
Mirum : nam dictis non rarò facta reſiſtunt,
Aurea ſi lingua eſt; ferrea ſaepe manus.

ALIUD.

Cum populo das jura, favus tibi mellis in ore,
Mellea ſed linguà ſunt tua facta magis.
Quare ſi taceant te, non tua facta tacebunt,
Nullaque factorum non erit ora loquax.

SI

SI QUO QUIS PLURA OB nostram felicitatem incommoda subierit, plus exceperit laborum, pluribus difficultatibus fuerit obnoxius, eo plus praemii ex nobis, quo mutuam officii vicem reddamus, ad illum pervenire pium, justumque est: dubitari non potest, VIRI AMPLISSIMI, quin Paulus hujus nostrae vrbis Praeses, atque pater humanissimus tanto eo dignior sit, quanto non modò hujus memoriae, sed omnium aetatum, ac saeculorum Praesides gravi, ac maximâ pro bonis artibus reficiendis, et ad eum, quem diu jam amisserant, splendorem revocandis curâ superavit. Sed quoniam gratiam, de qua optimè est meritus, nostrae fortunae causâ referre non possumus; at quae nostrae opis est, tum quia haec Academia sanctis, et perutilibus studiis ipsius auspiciis efflorescit: tum etiam quòd per unum illum insipidam, qua affecta erat in studii, et doctrinae modo, voluptatem amisserit, et habere, et agere debemus; Sed quid plura de nostri muneris officio? cum nullius ordinis, nullius generis, nullius denique fortunae studia ornatissimi hujus viri laudi, et gratulationi non se offerant? cum etiam amplissimus hic consessus, optimi hi juvenes, haec audiendi studiosa corona me ad grates agendas nutu, et prope murmure cohortentur? itaque faciam, quando me id

ipſum ſatis diu praeſtare cupientem impellunt. Quam obrem nunc te, D. O. M. appello, veſtram opem, et auxilium, qua poſſum, animi demiſsione etiam, atque etiam imploro, atque obteſtor, ut et laudes, et gratiam pro ſummis tanti Praeſidis in nos beneficiis ſi minus ornatâ, at gratâ, at de tanto heròè digna oratione breviter attingam.

Ac ne illud à me ſtudii, amoris, pietatiſque meritiſsimum officium defuiſſe videatur, ſacra velim, &c.

QUAMQUAM NON ME FALLIT, quanta, et quàm meis viribus impar provincia ſit ſuſcepta, quantus mihi laudandus heros, quantus parens, quantus Praeſul; tamen non vereor, ne gratus, aut ingratus eſſe videar, prout parum, aut minus dignè de tanto Praeſule dicam. Scimus enim etiam Diis ipſis gratiorem exîſtimari, qui eorum numina purâ, caſtaque mente, quàm qui phalerato, et copioſo orationis genere ſupplex oraverit. Ac ne illud quidem vereor, ne, cum de viri hujus virtutibus dixero, ejus humanitas à ſuperbia, labor ab inertia, fortitudo à timore, continentia à libidine, liberalitas ab avaritia, clementia à crudelitate non aliena omnino exiſtimentur.

Iam haec me ſola cura circumſtat, ne, cum în hujus laudibus principium vel facillime repererim, exitum invenire non poſsim. Nam ſi noſtri Praefecti antiquiſsima ſtemmata, ſi ejus in deliberando prudentiam, ſi ſingularem in exequendo fortitudinem, ſi admirandam rebus in arduis ſagacitatem, ſi denique quae proximè in aſ- perri-

perrimis, atque omnino desertis saltibus ab illo gesta sunt propter hujus regni nobilitatem, et amplitudinem (quae quidem cunctis jam gentibus ita celebrantur, ut neque locus, nec regio in terris ulla sit, quo non tam divini beneficii potentisimo huic Hispaniarum regno collati fama pervenerit) vobis commemorare velim: statim me tam inundans rerum, et verborum flumen obiret, ut me magis demersum copiâ, quàm inopiâ depressum iri faterer. Quare cum haec multo majora sint, quâm ut à me in hac ingenii tenuitate, et in his temporis angustiis pro dignitate tractari posint, idcirco ea scriptorum calamis describenda permitto.

Nunc quoque si de nostri Pauli litterarum, bonarumque artium cognitione differere vellem, ¿quantus se mihi campus aperiret? dicerem tanto fuisse ingenio, tantâ in optimis artibus addiscendis diligentiâ, ut adhuc adolescens ingenio diligentes, et ingeniosos diligentiâ longè, multumque superaret. Dicerem in Mathematicis, Historicis, Philosophicis, et Theologicis disciplinis, dicerem politiae, et utriusque juris scientiâ ita prae aliis eminuisse, ut nullum sibi parem, nedum superiorem habuerit. Non quidem immerito, etenim nihil est ita mirabile, nihil ita magnum, nil adeo obscurum, nihil tam excelsum, atque ad hominum societatem conservandam necessarium, quod ab hoc peracutis ingenii motibus non versetur, non acutisimè differatur, clarissimam hujus lucem effugiat, primo oculorum aspectu non obtineat, non longae investigationis experientiâ noscat, notum comprobet, probatum ad faciliorem usum non redigat, redactum expediat, expeditum insumat.

Sed

Sed jam ad reliqua progrediamur. Noſter Paulus, parens noſtrae fortunae, felicitatis, gloriae hoc lumen Praeturae ſuae fore putavit, ſi non dotem modò, de qua haec Academia bene merita eſt, ei confeciſſet, ſed diſciplinas etiam reformaſſet, reformataſque vobis, et reipublicae ad faciliorem uſum reddidiſſet. Quare ut eſt hujus urbis moderamine initiatus penitus imbibit, ſingularem, et novam ſtudiorum formam proferre, noſtrum Eminentiſsimum, atque regium judicorum Principem (quibus nunc etiam gratias agimus, huic, quia ſuis ſuffragiis, illi, quòd ut ſuffragiis, ita redditibus plurimùm hujus Academiae felicitati conferre voluerint) ſibi adjungere, et formam illam ex communi trium ſententiâ ad regiae Majeſtatis Concilium deferre, omnia denique facere, quae ad boni, et litterarum peramantis Praeſidis officium pertinerent.

Itaque non multò poſt omnis divini ſui conſilii ratio totius ſuperioris Senatûs decretos approbata eſt, quin etiam Eminentiſsimis, atque Illuſtriſimis viris comprobata, necnon poſterioribus ejuſdem Concilii decretis confirmata, atque ipsâ Supremae Majeſtatis manu, id quod perrarò accidit, ad hujus immortalitatem gloriae fuit ſubſcripta. ¡ Tanta erat illius operis utilitas! tam ex compoſito ſibi cum ſanctiſsimo Supremi Concilii ſtudio convenerat! tam ſapienter reipublicae bono conſuluerat! tam nullius factionis expers in re ſua litterarum perſtiterat!

Nihil mehercle, auditores ampliſsimi, in illa tanta ſua aequitate intentatum reliquit, quod ad amplificandam honeſtarum artium dignitatem, et ad excitandum in juvenum animis earum ſtudium pertinere intelligebat. Quare ſi haec Academia redditibus erat augenda,

augere

augere et curat, et diligenter curavit: nec dubitamus, quin res ea quàm primùm, quae eſt ejus ſumma in ſtudiis litterarum provehendis diligentia, ad nobis optatos exitus perducatur. Si ſtudia nobis nova, ſed ſola hominum felicitati utilia conſtituenda, conſtituit. Si factionis ſpiritus, qui ſemper pacem à virorum et prudentiſimorum pectoribus procul ablegarât, damnandus, damnavit. Si ſtulta, et nimia Syſtematicis, aut Scholaſticis diſciplinis adhaeſio, quae ſcientias jam diu ſuffocaverat, proſcribenda, proſcripſit.

Explicari non poteſt, neque umquam poterit, quantis ille bonis cives omnes affecerit, pernicioſo illo partium ſpiritu diſsipato, cujus cùm invidioſà ſcholarum inventione corpus quodlibet propriae, ſed ſaepius inutili, ac ridendae opinioni ſeſe addixerat, et eam doctrinam pugnaciſsimè defenderat, quae menti lucem non modò non afferret; ſed ut alius alium deſpiceret, et ut hic in illum ſaeviret cogebat: cum tanta hujus mali vis eſſet, ut quaſcumque artes perſequeretur, et vel ad graviſsima vitae tempora perveniret.

Sed tamen Paulus, cum te trum illum Arabicum, aut ſcholaſticum ſpiritum nobis praecluſiſſet, tanto meliùs ſcientiarum conſuluit utilitati, quanto nullum umquam neque gravius, neque praeſentius malum litterarum ſtudioſis accidiſſe poſſe exiſtimatur. Si enim ille animos praevertere potuerat, hic mentem de firmo illius ſtatu dejicere conſuevit. Is erat ille erroris, et tenebrarum ſpiritus, *monſtrum horrendum, ingens*, in triſtibus iis ignorantiae ſaeculis ex obſcura Arabum farragine procreatum, atque in totius Europae manibus, et gremio diu, ac blandè nutritum, cujus acerbiſsimum jugum, uſque dum aetate proximà res litterarum feliciter reviviſcere

viſcere caepit, nonullae rationes omnino à ſe ſuccutere non potuerunt.

¿Illum ipſum ſpiritum in *objecto* peccare jam his temporibus quis ignorat? cum in quaeſtionibus non futilibus modo, ſed nullius etiam utilitatis, vel cum hae demonſtrari poſſent, ſciamus fuiſſe verſatum? aut quis ignorat, ab illo etiam in methodo ſaepiſsimè peccari? nam dum ſimplicibus argumentis, et Geometriae operâ veritas eſſet exquirenda, eam quibuſdam captioſae Logicae praeſtigiis, verbis inanibus, ineptis diſtinctionibus, ac ſexcentis denique pertinacibus Sophiſtarum argutiis, quibus mentem obſcurari, falsò ſemper ratiotinari, et ab ipſa veritate recedere neceſſe eſt, à ſe inveniri poſſe arroganter exiſtimabat: cum eo miſeriarum res adducta eſſet, ut huic continuo rationis delirio ſubtilitatis nomen imponeretur.

Quae cum ita ſint, omnibus aperta res eſt, noſtrum Praeſulem non legitimam illam, et neceſſariam Philoſophiam, ut et veras, et claras ſcientiarum ideas percipiamus; ſed quae nos, *entis quidditates* vocibus, ut paſsim bachantium more perſonemus, et veritatem nimis valde altercando, ut quidam cecinit pòeta, obſcuratam amittamus, edocet, non immeritò damnaſſe.

Iam enim hoc tempore nemini dubium eſt, quin haec nomine Ariſtotelica, prout ad hujus uſque temporis memoriam adoleſcentibus tradita, et innumeris non tam falſis, quàm chymericis diſputationibus plena, jam et diversâ Scholaſticorum natione, jam interpretum aut genio, aut inſcitiâ corrupta eſt, haud ſane opportuna, quin potius caeteris ſcientiis acquirendis omnino inutilis, atque adoleſcentum judicio informando prorſus fuerit inepta.

Sed haec comperta ſunt; illa verò res et ſtultiſsimo cuique

cuique apertiſsima, quòd, cum Dei ſcientia in expoſitionis, et fundamenti partes ab hoc religioſiſsimo Praetore in illa ſua ſtudiorum formulâ eſſet diviſa, non Theologiam proſcripſit ſcholaſticam, ut nonnulli dictitant, cujus proprium munus eſt, quae in Sacris litteris, et Apoſtolorum traditionibus abdita tenentur, explicare, ſuo loco, et ordine diſponere, ſuis illa quaeſtionibus accommodare, et cum ſanctiſsimis morum, et fidei regulis conjungere: non ſcholaſticam, inquam, proſcripſit, ¿ quî enim poterat vir tantus eam proſcribere Theologiam, quam Concilia, quam Patres, quam Doctores, quam ſapientiſsimus quiſque Theologus probavere, in deliciis habuere, et ſcitè denique, ac feliciter ad aſſerenda Catholicae fidei dogmata contra haereticos adhibuere? ſed illum, ſi ita dicendum, ſcholaſticiſmi ſpiritum jam pridem ab ampliſsimis, et graviſsimis ſcriptoribus proſcriptum, atque damnatum in Theologia merito, et optimo jure damnavit.

Qui enim pernicioſo hoc ſpiritu erat infectus, is paſsim, et per fas, et nefas diſtinctiones futiles interſerebat, modò vanas, modò contortas ratiunculas afferebat, nihil fere de traditionis, aut revellationis principiis, nihil de Patribus, aut Conciliis attingebat, de re aut omnino inutili, aut certè dubiâ quaeſtiunculas, ne dicam altercationes, inſtituebat: et cum hiſce, et aliis Scholaſticorum delirantium ſomniis in primis eſſet inſtructus, etiamſi maximo vir ingenio praeditus, id tamen de vera, et legitimâ Dei ſcientiâ ſcire ſolebat, quod puer adhuc domi, aut ullâ in ſchola didiciſſet potuerat.

Iam igitur funeſtis iis ſpiritibus à noſtro Paulo è ſcena litterarum exploſis, mihi recurrere videtur aurea illa Saturni aetas, quae nobis, quantam poſsit maxi-

mam,

mam, felicitatem sit allatura. Iam enim mihi videre videor innumeros litterarum studiosos, qui, icto inter se foedere, dulcem, et puram veritatis aquam fratrum more, et exemplo simul exhauriant. Iam plurimos macte doctrinâ viros, qui, cum veram, et solidam scientiarum cognitionem sint consequuti, adeo sibi, et aliis utilitati esse velint, nihil ut sibi praeterea jucundum, aut amabile existiment.

Nunc profecto, patres amplissimi, (ut libere, quod sentio, dicam) clarâ hujus instaurationis luce praeunte, obscura illa naturae arcana, quantis velint, sophismatis obscuriora effingant tenaces ii argutiarum patroni, ut citius, sic clarius inspicientur. Nunc etiam illa nobis antea incognita luminaria, quo et securius, et felicius navigari queat, in lucem brevissimè proferentur. Nunc denique florentissima haec Academia nobis quamdam hominum in omni genere eruditorum copiam in dies majorem suppeditabit, qui patriae, qui regi, qui regno, qui religioni optimam, et utilissimam doctrinam pro rostris edoceant: quique tandem omnium oculos suarum admiratione virtutum in se convertant.

¿ Ecquis verò hoc dubitat? cum hujus Athaenei rectissimam economiam, aptissimam ad legendum temporis distributionem, utilissimam lectionum materiam, optimam non tam docendi, quam exponendi methodum, probatissima ad Magistri, Doctoris, aut Professoris praemium deferendum litterarum certamina, novam, et admirabilem, qua juvenes nec tanto labore, nec tantâ temporis, aut rerum jacturâ instructiores evadant, quaque primis scientiarum auspiciis eorum dignissimus quisque exornetur, formam, etalia denique nostri maximi scientiarum instauratoris multa, et praeclara facinora, quorum utili-

utilitate adeo provecta est haec Hispalensis Academia, ut cum omnibus ferme totius orbis terrarum Academiis hodie certare possit, videamus?

Tanta sunt, tam admirabilia, tam praedicatu copiosa haec, quae à nostro Paulo pro scientiarum felicitate, et gloriâ gesta sunt, ut neque veteres illi Themistocles, neque Epaminondae, nec Luculli, nec Fabii, nec Marcelli, aliique innumerabiles, quos et nostra, et nostrorum patrum aetas admirata est, ullo modo cum illo rerum gestarum magnitudine sint comparandi. ¿ Cui enim ignotum est, res ab aliis gestas, quantumvis praeclarae sint; cum iis tamen, quae clarissimam ad scientias viam aperiunt, conférri non posse? aut cui notius, quam vobis, ordo amplissime, omnia, quae in hoc genere ab aliis egregiè facta sunt, cum iis, quae Paulus fecit, non esse comparanda?

¿ Quis enim Philosophiam, quis Medicinam, et juris scientiam, quis Mathematicam, quis omnium scientiarum reginam Theologiam et puriores, et utiliores reddidit? aut quis viam, qua quisque ad illas facillimè, et certissimè pervenire posset, aperuit faciliorem? ut non verius haec Academia studiorum mater, quam is Praefectus, quo ipsa haec civitas maximè gloriatur, eorum pater vocarì queat. ¡ O virum omnium soeculorum memoriâ, et praedicatione dignissimum! ¿ quae futura est tam barbara, aut tam longinqua natio, cui tua tam singularia in nos beneficia fuerint ignota? quae tam ingratae litterae, quae de tuis laudibus conticescant? quae tam surda posteritas, quae voces nostras, quibus tibi gratias non singulis factis, sed ob perpetuam gratè agendi benignitatem agimus, non exaudiat?

Agimus igitur gratias, sed multo tamen majores

 habe-

habemus; verum quoniam ut habeamus, parum est, tu ipse tibi, Paule, pro nobis gratiam refer, tu, tuaeque virtutes: oratio, qua mulcendo potius, quàm extorquendo ita suades, ut neque subtilis deductâ oratione Menelaus, neque melleo delibutus eloquio Nestor, neque concinnus Laconicâ brevitate Vlysses tibi certare possint. Bonitas, qua in omnes beneficus es. Pietas, qua Baeticum orbem moderaris, quamque in hac Academia extollendâ cumulas, quamque ornando in hoc regno multiplicas. Agat gratias clementia, liberalitas, fortitudo, et caeterae animi tui eximiae dotes, quibus omnes hisce virtutibus praeditos longè, multùmque antecellis. Agant denique pro nobis gratias voces omnium Hispaniarum, quibus te in hoc regno amplificando, atque in his studiis reficiendis mirum in modum beneficum praestitisti.

Iam vos videtis, auditores, me et vobis, et reipublicae morem gesisse, cum incenso vestrûm, et civium omnium desiderio, quantum mihi ad gratias agendas per brevem ingenii, et temporis rationem concessum est, à me satisfactum fuisse videatis. ¿ Et verò quis tanto fuisset ingenio, aut tanta orationis copiâ, ut vel in maximo temporis spatio adumbraret, nedum dicendo exprimeret omnes illius Praesidis laudes, qui tot, tantisque virtutibus suffultus, qui tantâ et temperantiâ, et clementiâ, et sagacitate, qui tantâ scientiarum cognitione, qui tot celeberrimis majorum stemmatibus, tot clarissimis honorum titulis, tot ingenii monumentis, qui tandem tot in hanc Academiam beneficiis illustratus toties orbis terrarum oculos in se converterit? aut quis etiam ipso Pericle facundior dignas satis gratias ob egregia in omne genus hominum benefacta nobilissimo huic viro agere posset?

Sed

Sed meae orationi finem jam ſacere videntur omnes hujus Lycei illuſtriſsimi viri noſtro cum Paulo ita loquentes : age dum , Praefecte humaniſsime, ita te Deus communi hujus et civitatis , et regni , et Academiae bono quàm diutiſsimè , et quam feliciſsimè conſervet , urge conſtanter , ut perficias illud propoſitum , et quando nos ipſe in patrocinio tuo eſſe voluiſti , quantum potes , quod te plurimum poſſe ſcimus , confer , ut facis , ad hanc communem noſtrum omnium Matrem magis , magiſque in dies confirmandam. Multa jam , et magna tuâ benignitate conſequuti ſumus ; ſed alia quaedam ſunt non ignota tibi , quae ſi concederentur (à nemine autem , niſi à te ea obtineri poſſe ſperamus) mirabiliter et profeſſorum , et ſtudioſorum animi ad omnia egregia accenderentur. Para tibi, ſicuti adhuc feciſti , immortalitatem apud omnes litterarum amantes , et gratiam , et gloriam : perfice , ut eae artes , quae in te tantum ornamentorum contulerunt, ipſae viciſsim , quidquid dignitatis , et ornamenti habeant , id omne tibi ſe debere fateantur.

DIXI.